



ORATIO
CORAM CLARISSIMIS
LYC. OVET.

RECTORE, DOCTORIBUS ET MAGISTRIS

PRO SOLENNI STUDIORUM APERTIONE

DICTA

A P. M. Fr. EMMANUELE DE CASO

SACRÆ THEOLOGIÆ PROFESSORE
ET ACADEMIÆ ORATORIÆ MODERATORE

X V. K A L. NOV.

ANNO DOMINI M. DCCCXXIX.



OVETI:

APUD TYPOGR. VIDUÆ DE PRIETO,
M. DCCCXXX.

ОИТАКО

СОРАМ СЛАРИСИМІ

... quæ maxima semper

Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.

DIGTA VIRG.

САДЫ ТЕОЛОГІКІ ПРОФЕСОРІ

ІТ АКАДЕМІК ОЛЯТОРІ МОНДРАТОРІ

. NOV . X . V .

АМІК ДОМІНІ М. ДОССІХІХ.



ОАЕТІ:

APUD TYTOGR. AIDUAЕ DE TRIЕТО
M. ДОССІХІХ.

*

*

*

*

*

*

Primus ac præcipuus in dicendo labor, Dignissime Rector, sapientissimi utriusque Facultatis DD. et MM., cæterique adstantes, Primus, inquam, ac præcipuus in dicendo labor est auditorum palato novitatis semper avidissimo respondere pro votis. Enim vero eo magnitudinis devenit sapientia, quam hodierna luce laudandam suscipio, cujusque amorem juvenibus, cunctisque ingerere optarem, ut neque Tullius, neque Demosthenes, cæterique Rethorices Coriphæi, quantumvis totos ingenii nervos intenderint, idonei laudatores et encomiastes extiterint. Sola Sapientia, si humana voce homines alloqueretur, dignas de se novitatis fuco et voluptatum titillatione conditas laudes ju-

re ac merito protulisset. Et certe , ut magnum
 Provinciarum corpus æquali animandum est
 mente, sic vasta orationis Provincia non nisi
 magno Oratore, qui argumentum exæquet , re-
 gitur atque animatur. Jam vero difficultas au-
 geatur necessum est , cum quotannis elucubra-
 tionem hanc suscipiendi mihi sit onus imposi-
 tum. Licet enim infinitas sapientiæ laudes ex-
 haurire nemo valeat , præ ingenii tamen inopia
 ad encomiasticas illius laudationes viam mihi
 interclusam sentio : præsertim cum repetere mi-
 hi religioni sit quæ olim disseruerim , fastidium-
 que proinde vobis ingerere verear. ” Magnum
 monus atque munus, ajebat oratorum princeps,(1)
 ”suscipere ac profiteri sese omnibus silen-
 ”tibus unum maximis de rebus magno in con-
 ”ventu hominum audiendum. Adest enim fe-
 ”re nemo quin acutius atque acrius vitia in dicen-
 ”te quam recta videat. Ita quidquid est in quo
 ”offenditur , id etiam illa quæ laudanda sunt ob-
 ”ruit , et quoties dicimus toties de nobis judi-
 ”catur. Neque quidquam est tam insigne , ne-
 ”que tam ad diuturnitatem memoriæ stabile,
 ”quam in eo quod deliqueris.” De qua vero

majori re mihi sermo obvenire poterat quam de sapientia? Atque adeo quo pacto expectabo me à vobis libenter auditumiri? Attamen humanitati vestræ confidens, quæ mihi largo favoris sydere semper affulxit, nova qua potero argumenti methodo, per spacio sum sapien-
tiæ campum excurram. Itaque cum jam *labor actus in orbem redeat*, et resignatis gymnasiorum valbis, quas animi gratia feriæ litterariæ obduxerant, iterum sapientiæ limina acceditis,
de sapientia iterum vobis sermonem proferam....
..... quæ maxima semper.

Dicetur nobis, et erit quæ maxima semper.

Et ne vestros animos fastidioso et prolixo verborum ambitu suspensos habeam, est enim tormenti genus spem inchoatam diutius protrahere, illico proferre statui rationum momenta queis illecti atque inflamati studiosorum animi stipendia sapientiæ promerer satagant. Quid vos magis ad sapientiæ studium allicere poterit, quam videre per illam nos similes Deo effici? Et ecce hujus rei locupletissimum testem Platonem habemus *similitudinem Dei Sapientiam* appellantem. Rem, si libet cominus agrediamur.

Est Deus naturā simplex omni mortaliūm concretionē secretus. Virtus quædam intelligenti, quæ omnia à se orta intuetur, complectitur et comprehendit: sed acerrimo mentis oculo, dum se intelligit, et veluti in flagrantissimo nitoris speculo suam ipsius faciem contemplatur, Filium generat sapientiæ nota et caractere insignitum. Per hunc vero omnia creat, omnia efficit, machinatur omnia, vel novitate admiranda, vel decore honestata, vel præstantia egregia, vel apparatu magnifica, vel magnificentia splendida, vel splendore illustria, vel argumento ingeniosa, vel complexione multiplicia, vel mole prægrandia. Sapientem nunc vero intuemini. Quam ille procul à mortalium fæce se attollit, et culmen obtinet intelligenti, unde cuncta despiciat tanquam ex arte! Hic à rerum intuitu conceptam sapientiam in lucem effundit. Eadem adjutrice, si jam facta non efficit, omnia tamen considerat, inspirat, illustrat; neque est quidquam vel ornamentis insigne, vel dotibus admirandum, vel situ arduum, vel arcanis absconditum, vel secessu distans, quod ipsius non subeat contemplationem.

Ecquænam vero in præpotentis Dei Ma-

jestate decora effulgent quæ sapientia non conata sit adumbrare? Quæ dotes, quas effingere non studeat? Unus cum sit rerum omnium moderator Deus, omnia complet, perlustrat omnia. Sapientia scribendi rationem excogitavit, ut quocumque locorum animo, sinminus corpore homines pervaderet. Ille æternitatis interminato insigni decoratur: Sapientia immortalitatem quandam à Typographia consequitur, et signis veluti militàribus instructa in tempus ruit, et irrumpit. Nihil è Divinitatis acie: nihil fere è conceptu Sapientiæ subducitur, neque solis masculæ in lucida radiorum caligine sese valent obruere, et illius intuitum effugere. Deus sydera percenset, et Astrorum nominat simulaçra: Sapientia numerum continet, et illis Arietes, Tauros, Ursas, Leones tanquam nomina comparavit. Ille fertur super aquas: hæc *pixide navigatoria* occeani undas pertentat, illiusque profunditates *bolide* dimetitur. Fertur ille super pennas ventorum. Hujus navali artificio Typhis velorum alis, et alarum remigio ad maris cursum evolavit, navigandi artis sufragio vitæ naufragia adactus, ut merito deplorat qui cecinit. . . .

Terra parum fuerat, fatis adjunximus undas.

Si Deus sonora vox cantus avium exsuscitavit , arcana Sapientiae molitione Leo Græcorum Princeps aviculas ostentabat aureas , quibus Aulicorum aures dulciter demulceret. Dubium , an ex metalli sono , an ex harmoniæ consonantia. Sed quis eorum auritus non esset , ubi aurum personabat ? Impingat ille avibus alas ; explicavit hæc volatus vel in Architæ columba , vel in Aquila Norimbergensi. Ille cælestium orbium rotatus circunduxit : Hæc in Sphæra vitrea haud dissimiles eorum motus effinxit , ut Claudianus de Archimede ajebat : —

Jura Poli , rerumque fidem , legesque Deorum

Ecce Syracusius transtulit arte Senex :

Inclusus variis famulatur spiritus Astris ,

Et vivum certis motibus urget opus

Percurrit proprium mentitus Signifer annum ,

Et simulata novo Cynthia mense redit :

Jamque suum volbens audax industria mundum

Gaudet , et humana sydera mente regit.

Haud dissimili artefacto Chosroas Persarum

Rex Celorum orbes , et motus syderum non so-

lum representabat , sed et meteora omnia ex-

hibebat pluvias , videlicet , nimbos , grandi-

nes , fulgura , uno verbo , quidquid in rerum

natura eximum est , et quidquid mirandum in

cælo, Cælique ambitu continetur.

Sed ulterius progrediamur: Dei Imperium in orbe signifero solis continet errores? Sapientiae solertia ferrea cuspide tanquam compede solem errantem irretit. Ab illo temporis rotæ assidua vertigine volvuntur? Ab hac rotali machina horarum discriminæ devolvuntur. È magitu et nubium fragore Ille fulmina contorquet. Hæc æneo tormento tonitrua et fulmina simulavit, et in machina electrica terribilis hujus Phenomeni speciem aduimbrabit. Supremus Cæli Princeps arcana rerum tenebris involvit? Sapientia apud Egiptios animi sensa caracterum velavit involucris, ut minus Nili occultarent caput, quam capitinis velarent machinamenta. Admiramur illius nutu glebas in aurum efflavescere? Legimus Chimica hujus arte sordidam ferri scabiem pretiosam induere supellectilem. Sit ille Iridis depictor. Erit hæc artifex Trianguli Iridem referentis, septemque primitivæ lucis radios veluti anatomice dissecantis. Omnia ora sese in admirationem effundant, quod Deus oratione homines et eloquio decoravit. Sed nè, quæso, admirabile est quod sapientia statuas adsimilantis vocis sonum sit machinata? Dignitatis splendor in illum dimanet, quod oculos accenderit

tanquam sydera. In hanc laudis effulgeant orna-
 menta, quod oculos tenebris offusos conspicillis
 illustrarit, atque illos pene lynceos reddiderit.
 Haud vos latet, qua ratione specularis tubi ge-
 nus ita rerum tenuissima oculis proponat, ut
 majora reddat, et efficiat grandiora. Breve et
 exiguum animalculum, formica, exempli causa,
 quæ nos in dubium revocat, nervis ne contineat-
 tur, an cartilaginiæ habeat, sepiatur membra-
 nis, an corde vivat et vigeat, an spiritus per ar-
 terias, an per venas sanguinem diffusum con-
 tineat, pedes annulatos ne an continent expre-
 diat, videat an iter pertentet: utrum dentibus
 dividat extimam frumenti partem ne si germinet
 æstate, ejusdem hiberna frustretur annona: For-
 mica, inquam, vix ope illius tubi conspicitur,
 cum repente incipit pilis horrere, Leonis quate-
 re jubam, duas intendere proboscides, pedes
 mutare in trabes, oculos sat grandes aperire,
 ostendere os atque dentes: tantam demum ex-
 crescere in molem, ut in cancrum Cyrcae ali-
 quo poculo, conversa esse videatur. Adeo ut,
 si multum Naturæ debeamus quæ nobis oculos
 concessit, non parum etiam debeamus sapien-
 tiæ quæ concessos à Natura oculos ita collus-
 travit.

Sed jam ipsos oculos ad sublimiora et digniora attollamus. Quid tam singulare opifici Deo , quid tam præcipuum , quam è nullis initiis , nulla adjutrice materia rerum naturas procreasse? Et graphica depingendi ars , fere è nihilo , ita rerum imagines varietate ornamen- torum , et suspenso et magico linearum ductu exprimet , ut quæ creata procreatix esse vi- deatur. Constituite vobis ante oculos tabulas in- formes , mutas atque inornatas , nulla colorum admixtione , nullo lucis apparatu , nullis umbra- rum decoratas lineamentis. Accedat vero silens industria penicilli , cum repente telluris species et florulenta pratis , et distincta culturis , et consita pomis , et lucis obumbrata et ditata mer- cibus , et vivariis circunfusa in arida tabula ad decorem ac venustatem efflorescet. Viriditas nemorum ibi satura , hic remissa: ibi florens , hic languida : ibi clarior , hic obscurior : Hinc auro- ra lactescit solis pueritias , illinc aer irradiat luce perfusus grandiore : pellucidi fontium ri- vi , caduci fluminum decursus , maris fremi- tus in tranquillitate tacitus et recumbens , ex- tenuata saxa , profundiores recessus , in præci- piti prærruptæ petræ , substructa palatia , op- pida excitata , civitates munitæ , Provinciæ ,

Regiones, Regna: picturata quædam orbis terrarum epitomes pictura, ut ita dicam, procreatrice ad magnificentiam assurgit.

Quod si hominum effector Deus animi affectus in corpus immiscet, quibus modo jucunda persequimur, modo noxia detestamur: modo livore contabescimus, modo in iram et furorem abripimur: Parrhasius ille Ephesinus ita penicillo depictum exposuit Dæmonem Atheniensis ad omnes animi commutationes in una eademque Tabula propensum et versatilem, ut eodem frontis aspectu illas cohiberet, vel laxaret: incenderet, et restinguere: moveret, atque sedaret: adduceret, et remitteret: incitaret, et reflecteret. Videres illum iracundum, insatum, inconstantem, perfidum, horribilem, severum, sævientem. Eundem exorabilem, clementem, excelsum, gloriosum, humilem, ferocem, fugacem: Trepidare metu, spe anhelare, desperatione abjici, deprimi mærore, amore fervere, amentia furere, invidia impediri, dolere, execrari, prosequi, insistere, desistere, agredi, superbire, sperare, diffidere, ambire, satietate revocari. Quâ micat fronte, quâ jugulat aspectu, quâ fulminat supercilio: quâ floret gratia, quâ exultat alacri-

tate , quā allata demittit supercilia , quā toto ore ad jucunditatem uti *Phæbus post nubila* serenat . Hæc omnia , auditores amplissimi , unus Diemon quasi plures personas in scena tanquam Histrio sustinebat , ut non solum Poesis , pictura etiam muta Protheos jactaret suos . Quæ audacia humani ingenii ad Dei similitudinem anhelantis ! Quanquam haud me latet , quam egena gloriæ portione hominum conatus irritentur : quam longo dividatur Isthmo mortaliū genus per hujusmodi machinamenta ab illa Divinitatis Majestate , quam enīxe impenseque effingere intendit .

Sed adhuc in sapientia characteres alios similitudinis cum Deo videre præstat . Suspiciatur Suprēmi Principis dominatus , quod animorum motus pro nutu regat , pro arbitrio moderetur . Deus immortalis ! Quantum hominum sapientiam , hanc exæquare lauream conatam esse experimur ! Si animi affectiones loquerentur , ita Sapientiæ ab animis quas reportat manubias atque Trophæa , oratione triumphali prædicarent . Spes langueat , illa erigit : Timor urgeat , illa firmat : iracundia incendat , illa restinguat : elatio jactet , illa deprimit : tepescat amor , illa foveat : mores ruant , illa redigit :

debachentur vitia , illa comprimit: seditio fluctuet , illa sedat : inertia sedeat , illa concitat : dominetur furor, illa domat. Quod libet sua- deat: prohibeat quod nolit: unde velit deducat: quo malit deflectat, vel flebiliter ad lacrimas, vel jucunde ad lenocinia , vel profuse ad lar- gitatem , vel stricte ad frugalitatem , vel au- dacter ad operosa, vel constanter ad suscepta, vel fortiter vel æqualiter ad adversa , vel mo- derate ad secunda : Ad otium , ad arma , ad iram , ad clementiam , ad luctum , ad sereni- tatem animos flectit , animos moderatur. **Ó Di- vinæ mentis imitatrixem Sapientiam !** **Ó imi- tandi cupiditatem nobis insitam et congenitam!** **Ó miram et magicam sermonis et eloquii vir- tutem!** Hæc sane dotes sunt , quas in Pisone suo Lucanus commendat , dum ait: =

Judicis affectum , possessaque pectora tentas
 Victus sponte sua sequitur quocumque vocasti:
 Flet si flere lubet , gaudet gaudere coactus
 Et te dante capit Judex si non habet iram.
 Sic Auriga solet ferventia Thesalus ora
 Movilibus frenis in aperto flectere campo,
 Qui modo non solum rapido permittit habenas
 Quadrupedi, sed calce citat, modo torquet in auras

Flexibiles rictus , et nunc cervice rotata
 Incipit effusos in gyrum carpere cursus.
 Quis non attonitus iudex tua respicit ora ?
 Quis regit ipse suam nisi per tua pondera mentem ?
 Nam tu , sive libet pariter cum grandine nimbos
 Densa que vibrata jacularis fulmina lingua :
 Seu jubat adstrictas in nodum cogere voces
 Et dare subtili vivacia verba catena
 Vim Laertiadæ , brevitatem vincis Atridæ :
 Dulci sive mavis , liquidove fluentia cursu
 Verba nec incluso sed aperto pingere flore
 Inclita Nestorii cedit tibi gloria mellis.

In argumenti propositi confirmationem adduci potest , quod inter Etnicos per sapientiam ad Divinitatis honores plurimi pervenerint . Miseranda certe Nationum cæcitas , quibus verum fidei lumen non affulxerat ! Sed inter has tenebras , quantum sapientiæ contulerint , quantique sapientiam fecerint elucessit , cum nullus fere sit , qui disciplinam aliquam invenerit , cui Divinos non retulerint honores . Plato divinum sibi perperit nomen , sed Philosophia , ut ita dicam , obstetricie . Esculapio victimæ sunt immolatæ , sed Medicina mucronem acuit . Mercurio Egipcius aras construxit , sed eloquentia lapides pa-

ravit , et aptavit. Athenæ sunt Jovem i veneratæ , sed à majestate Legum. Apollo sibi laudes et hymnos meruit, sed quos Musica concinnavit. Metaponti delubra Pithagoræ excitantur , sed artifice Encyclopedia. Flavescit Ceres aureo aristarum coronamento, sed quod ad gloriæ segtem intexuit Jurisprudentia. Prometheo Thura incendit antiquitas , sed flammis quas è sole accedit Astronomia. Ciceronis et Virgilii effigies ab Alexandro Severo augusta coluntur veneratione , sed quam illi mira dicendi vis , quam huic divina quædam pangendi carmina facultas concitavit.

Hi vero quos postremo nominavi , Cicero et Virgilius , ne eloquentiam , cui in novissima Studiorum Lege locus factus est , tacite præteream , admonere videntur. Nihil ignotius , auditores benevoli , nihil oculis magis impervium quam sapientia Humanitatum ornamentis et dicendi vi destituta. Similem Deo quantumvis finixerimus sapientem se solo beatum , se uno felicem , illum tamen nisi polita litteratura illustret , Deum etiam sine cælo suo imitabitur nullibi conspicuum , nullibi degentem. Quemadmodum autem splendidissima hæc cælestium orbium molitio , tot Planeta-

rum facies, tot Syderum lumina, Divinum
Numen veluti quibusdam radiis describunt, ita
Musarum amœnitas sapientiæ genium è latebris
eductum illuminatrice quadam luce perfundit,
sine qua esset *Sapientia abscondita et thesau-*
rus invisus absque utilitate.

Cælum, inquiebat Orpheus, quasi canoram
Cytharam suis præconiis edendis Deus confor-
mavit, illamque numerose explorat, et argute
percurrit. Sic Astra atque Planetas, veluti gra-
viora acutis permiscens, temperat atque mode-
ratur. Saturni frigiditati calorem Jovis interpo-
nit. Martis ardorem Lunæ humiditate refrige-
rat. Lunæ candori carentem Solem adjun-
git. Compescit motus celeres Mercurii Saturni
tarditate. Saturni mœrorem levat, Venerein hi-
larando. Mugitus Tauri comprimit Cygni har-
monia. Quid commemorem tot intervalla æqua-
liter inæqualia: tot ordines composite incom-
positos: tot proportiones pariter diversas: tot
errores firmiter constantes: tot vicissitudines sta-
biles constanter: tot motus exleges, lege ac nu-
mero concitatos? Quid tandem illam sine con-
fusione multitudinem, sine disjunctione diversi-
tatem, sine perturbatione conjunctionem, sine

mensura dimensionem, sine pondere immensam molem? Quæ omnia inter se apta et colligata, veluti temperata cythara, suavissimum videntur modulari concentum: Modulantur equidem, et Deum sibi canunt insidentem, et impertinentem pulchritudinis autoritatem. Cœli enarrant gloriam Dei, Regius Psaltes ajebat, Cœli enarrant gloriam Dei, et non sunt loquela nec sermones, quorum non audiantur voces eorum.

Vos etiam, humaniores litteræ, Cœlestes Syrenæ, Sapientem harmonia, et concentu vestro decantatis. Illum, si Divinarum rerum contemplatrix Theologia commendet, Vos clarissimis vestris eloquiis, copiæ in dicendo, orationis in seligendo, nitoris denique in toto operæ gratissimam oculis speciem exhibetis. Illum, quem alioquin austera Philosophia exasperat, vos miti ingenio jucunde temperatis. Si juris utriusque scientia alios exornat, cum Legum maiestate facundiam et in dicendo vim illis conferentes, in oracula illos erumpere facitis, è quorum ore cunctus populus pendet, et in quos intenti omnes ora tenent libenter. Ita audientium cordibus dominantur, ut ea quoquinque velint flectere valeant, ut superius de Pisone memora-

vimus. Nulla, verbo dicam, scientia est, quæ huīanioribus litteris, quæ eloquentia, ut ore et lingua, ut Cælesti Cythara non utatur, quæ tum ipsas scientias adeo inter se diversas, tum in hisdem multiplicia argumenta aptissime concinnat, et gratissimo modulatur concentu, et quod-dam veluti Cælum molitur, in quo illæ ut suo in solio consideant. Una sapientia, una dīcendi vis est, quæ Divinæ Mentis expressionem præclarious ostentat. Et in ejus commendationem notari potest, quod si aliqui Eloquentiæ osores in eam, vel potius in ejus abusum, invēhuntur, non nisi ipsius Eloquentiæ armis il-lam impetere conantur.

Hinc, quis jam mirabitur Maximorum Prin-cipum tantam in erigendis Scholis curain: Reg-norum, Provinciarum, Urbium, Populorum in erudienda juventute conatus? Ferdinandi deni-que nostri vigilantiam in Lyceis publicis ad meliorem et uberiorem frugem reducendis? Tot Templa sapientiæ, quot Universitates erec-tas voluit, et eorumdem Templorum decori, et utilitati, et ornatui sapientissima Studiorum Lé-ge providit, ratus majus beneficium suis Po-pulis exhibere non posse, quam solidam et selec-

tam instructionem publicam.

Verum enim vero, Auditores ornatissimi, quantumvis magna sit Sapientiae claritudo, quæ nos similes Deo efficiat; quantumvis Sapientia tanti à Gentibus aestimata fuerit, ut ipsam Minervam crediderint, eique proximam post Jovem, Supremum Numen, sedem decreverint, ut ait Lyricorum Princeps:

Proximos illi tamen occupavit Pallas honores: Ne tamen credideritis, me tanti facere cognitiones humanas, quæ non cum morum honestate socientur. Heheu! Quid prodesse poterit Sapientia, quid litterarum amoenitas, quid omnigena eruditio, (si tamen sine virtute acquiri potest) quæ non cum optimis moribus amico fœdere conjugatur? Lamentabili experientia cernimus Viros alioquin eruditissimos, superbia tamen tumentes, Divina permittente Justitia, ad proborum luctamen et exercitium luces suas in sui, et aliorum perniciem convertisse. Innumera proferre possem hujusce rei exempla, nisi jam orationis vela contrahere oporteret.

dix. Similitudinem Dei Sapientiam diximus.
 Porro Dei Supremum in omnia dominium Di-
 vinitatis est attributum præcipuum. Jam vero,
 quam similitudinem cum Deo habere poterit,
 qui appetitu et sensibus non dominatur , qui se
 passionum servum constituit, qui à ratione do-
 minatum aufert, quem habere debet , eumque
 appetitui, qui nobis cum belluis communis est, im-
 pertitur? In turbato et procelloso pelago, quæ
 tranquillitas esse poterit ad veritatis contem-
 plationem ? Et quo pacto turbatum non erit,
 cum ejecta Domina , ut cum Sapiente loquar,
 seu ratione, ad ancillam , id est, ad appetitus do-
 minatus hominis transfertur?
 Vera, et germana Dei similitudo à primæ-
 va hominis institutione shaurienda est. Tunc
 homo Deo subjectus, sub dominio suo bestias
 et animantia tenebat. Cuncta subjiciebantur ho-
 mini, sicut et ipse Deo subjiciebatur. Amis-
 sa, proh dolor! amissa per peccatum origina-
 li justitia, amissa est etiam dominatio in ani-
 mantia, et rebelles appetitus in rationem insur-
 rexerunt. Recuperare opus est dominium in
 appetitus, brutis animantibus superiores nos ge-
 rere , sensus et appetitus rationi subjicere, ratio-

nem autem Deo: Sic cuncta ordinata erunt, sic cuncta in tranquillitate manebunt.

**Semita certe, Juvenalis ajebat,
Tranquillæ per virtutem patet unica via.**

Itaque appetitui dominari curemus, rationemque Deo subjiciamus. Caveamus, ne rationis terminos transgredientes, velimus omnia rationi subjecere. Is vere sapiens est, qui novit quousque rationis jurisdictione extendit, et ubi necessarium est, captivare intellectum in obsequium fidei. Rationis munus erit, (in aliquibus non in omnibus, certio certius enim constat, viam Authoritatis, quam rationis respectu multitudinis expeditiorem tutioremque esse), Rationis itaque munus erit, sigilla Divinæ Revelationis expendere; his autem perspectis acquiescendum est, Deoque loquenti credendum. Hoc est rationabile obsequium quod in Religionis studio, cui vobis incumbendum est, addiscere debetis. Hæc si præstiteritis, Adolescentes egregii, ad genuinam similitudinem cum Deo asurgetis, quam vera Sapientia nobis offert, il-

(21)

lamque perennem Beatitudinem assequemini,
cum apparebit quid erimus, et similes Deo eri-
mus, ipsum, sicuti est, videntes.


A M E N.



(51)

caudus bellicosum Descriptionem
cum aliis dñi sumis, et suis
m̄tis, iōnē, sumis est auctoritate.

A M E R



LIBRERIA
Y ESTAMPA
DE
SAN SALVADOR

ESTA DE LA
ACADEMIA DE
SAN SALVADOR